MISSALE DIOECESIS SALISBURGENSIS

Augsburg, um 1480/1500

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sunt vie eius. Tanquam nugaces estimati sumus ab illo: et abstinet se a viis nostris, tanquam ab immundiciis. et prefert novissima iustorum, et gloriatur se patrem habere deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint: et temptemus que ventura sint illi. et sciemus que erunt novissima illius. Si enim est verus dei filius suscipiet illum: et liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia et tormento interrogemus eum: ut sciamus reverentiam illius. et probemus pacientiam eius. Morte turpissima condempnemus illum. erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hec cogitaverunt et erraverunt. Excecavit enim illos malicia eorum: et nescierunt sacramenta dei. neque mercedem speraverunt iusticie. neque iudicaverunt honorem animarum sanctarum. Dicit dominus omnipotens. Gr. Ego autem dum michi molesti essent induebam me cilicio et humiliabam in ieiunio animam meam et oratio mea in sinum meum convertetur. V. Iudica domine nocentes me expugna impugnantes me apprehende arma et scutum et exurge in adiutorium michi.

Passio domini nostri ihesu christi. Secundum marcum.

In illo tempore. Erat pascha et azima post biduum: et querebant summi sacerdotes et scribe: quomodo ihesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem. Non in die festo. Ne forte tumultus fieret in populo. Et cum esset ihesus in bethania in domo symonis leprosi, et recumberet venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati preciosi: et fracto alabastro effudit super caput eius. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos et dicentes. Ut quid perditio ista unguenti facta est. Poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis: et dari pauperibus. Et fremebant in eam. Ihesus autem dixit. Sinite eam. Quid illi molesti estis. Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobiscum: et cum volueritis potestis illis benefacere: me autem non semper habebitis. Quod habuit hec fecit: prevenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis, ubicunque predicatum fuerit evangelium istud in universo mundo dicetur, et quod hec fecit narrabitur in memoriam eius. Et iudas scariothes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes ut proderet eum illis. Qui audientes gavisi sunt: et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et querebat quomodo illum oportune traderet. Et prima die azimorum quando pascha immolabant. dicunt ei discipuli. Quo vis eamus et paremus tibi ut manduces pascha. Et mittit duos ex discipulis suis et dicit